

*ff. de Acquirend. posses. 5. column. num. 4. quasi princip. 17. & 18. & ibi Imol. penult. column. & ibi Jas. 2. col. num. 19. Vincent. 39. col. n. 93. Rip. 19. 15. col. n. 57. tenet Aretin. dict. leg. 1. §. Si jusserim, eod. tit. in fin. tenet etiam Alberic. Imol. Cuman. Paul. de Castr. in leg. 3. eod. titul. 1. column. & ibi Socin. 5. column. in medio, idem etiam tenet Gloss. in leg. 1. Cod. de Donat. in gloss. 3. & ibi expressè Petr. Cin. & Salyc. Gloss. in leg. Qua ratione. §. Item si quis merces. sup. de acquir. rerum domin. cum qua transeant DD. & alii Glossat. in §. Item si quis merces, Institut. de rerum divis. in gloss. fin. & ibi tenet Bart. Faber. Angel. & Platea, Andr. de Isernia in cap. 1. in princip. quid sit investitura, in lib. 2. Feudorum. Collectarius in cap. Caterum, de donation. Petr. de Anchar. in regul. sine possessione, de regul. jur. in 6. 16. column. in med. Barb. in cap. 2. de Consuet. column. 17. num. 96. & certè ista est communis opinio. Sed attende, quòd contra eam expressè facit text. in dict. leg. Clavibus, de contrah. emption. dum dicit, Si claves apud horrea tradita sunt, ubi probatur, quòd non requiritur præsèntia rei, sed sufficit quòd claves tradantur apud horrea, & sic in loco proximo domus vel loci ubi res continentur: & ista est vera & propria significatio illius vocabuli secundùm peritos Latinos. Et præterea contra communem opinionem facit urgens & fortissima ratio: quia si præsèntia domus vel loci requireretur, frustra interveniret traditio clavium; cùm sola præsèntia, & visus sufficeret, concurrente voluntate tradentis: & per ista tenet Alexand. expressè dicens esse notandum, in dict. leg. 1. supra, eod. tit. 19. column. n. 78. & ita videtur tenere ibi Gloss. 2. in medio, in versic. Sed quid si non est in conspectu, &c. dum allegat dictam leg. Clavibus. Sed his non obstantibus, ego teneo superiorem communem opinionem, imò, quòd oportet quòd claves tradantur in præsèntia domus, vel loci. Nec obstat text. in dict. leg. Clavibus, dum dicit: apud horrea. Quia dictio apud, multoties in jure nostro accipitur pro coram, & pro præsèntia, ut in leg. de Jure, in princip. ff. ad municipale, & in leg. Eum pro quo, & ibi Gloss. & DD. ff. de In jus vocand. Non obstat etiam illa subtilis ratio formata contra communem opinionem: Quia respondeo, quòd hic non agimus de quærenda possessione ipsius domus, horrei, vel loci; sed de quærenda possessione rerum, vel mercium ibi contentarum; quæ non videntur, nec sunt in præsèntia, vel conspectu, sed cluasæ; ideo traditio facta in conspectu domus multùm operatur, quia transfert possessionem rerum, vel mercium: & iste est sensus & verus intellectus illius*

text. in dict. leg. Clavibus, & ita defendit communem opinionem Jas. in dict. leg. 1. supra, eod. 20. column. num. 91. & licet ipse nec alius alleget, ista est responsio & declaratio Bart. in §. Item si quis merces, Institut. de rerum divis. & ista est veritas. Pro qua communi opinione sic defensata, scilicet, quòd requiratur præsèntia domus vel horrei, facit optimus textus bene consideratus in dict. leg. 1. §. Si jusserim, ubi text. dicit, quòd per visum & aspectum quæritur possessio rei, concurrente voluntate tradentis: & postea subjungit textus per dictionem copulativam, Et, de cujus natura est uniformiter copulare: Et vina tradita videri, cum claves cellæ vinaria emptori tradita fuerint: ergo debet intelligi in præsèntia domus vel loci, in quo res continentur, prout supra loquitur: & illum textum ad hoc ita considerat solus Franc. de Rip. in dict. leg. 1. 25. column. n. 57. Item pro communi sententia allego hodie expressam legem regni, quæ hoc determinat, scilicet leg. 7. titul. 30. 3. part. ibi: Estando y delante, unde, si quis velit se juvare ex tali possessione, oportet probare traditionem clavium esse factam in præsèntia, cùm sit qualitas suæ intentionis. Pro quo facit doctrina Aretin. in leg. 3. column. 2. num. 4. eodem titul. ubi dicit, quòd in casu quo actus debet fieri in præsèntia, non præsumitur nisi probetur. Item superiorem conclusionem ego limito & intelligo, quando domus, locus, vel horrea, ubi res continentur, sunt clausa: secus tamen si essent aperta; nam tunc licet claves tradantur, non transfertur possessio: & in expressò ita probat text. in dict. leg. Clavibus, ibi: Etsi non apperuerit horrea: & certè est de mente jurium, & DD. ubi supra. Confirmatur etiam ratione: quia isto casu non censentur res esse ita sub custodia accipientis claves, nec est ita facilis potestas apprehendendi ipsas res: & istud credo verum, licet nemo Doctorum hoc tangat. Advertendum tamen est, quòd prædicta conclusio quæ habet, quòd per traditionem clavium quæritur possessio, debet intelligi, quando tradens possidebat: si verò non possidebat, nullam transfert possessionem, nec affectum ejus, argumento text. juncta Gloss. in leg. Quamvis. §. Si conductor. infra, isto titul. & expressè ita tenet Oldrad. in cons. suis, cons. 299. column. 1. in fine, num. 3.

Ultimò pro declaratione hujus articuli quæro, an sicut per traditionem clavium transfertur possessio, idem sit per traditionem alterius instrumenti, quo aliqua res ducitur & gubernatur? ut puta, si quis vendat vel alienet equum, vel aliud animal, & tradat frænum, capistrum, vel sellam, an ex hoc transferatur possessio

ip-

ipsius equi, & per consequens dominium, vel usucapiendi conditio? Et reperio, quòd Glossa singularis in jure, in §. Item si quis merces, in gloss. fin. in fin. Institut. de rerum divis. tenet expressè quòd sic, argumento illius textus, & text. in dict. leg. Clavibus, & jurium dicentium, quòd per traditionem clavium transfertur possessio: & illam Glossam commendat & dicit notabilem Socin. 4. volum. consil. 55. column. 2. num. 9. Sed attende, quòd illa Glossa & conclusio debet intelligi, quando frænum vel capistrum est impositum in dicto equo vel animalis: nam tunc, capiendò equum per frænum, videtur apprehensa possessio ejus rei, vel equi, nam aliàs non potest commodè vel aptè apprehendi; & tunc erit possessio quæsita per actum naturalem: secus verò si frænum tradatur non super equo, sed in absentia; quia tunc non censetur quæsita possessio: ita notabiliter Faber. in dict. §. Item si quis merces in fin. & ibi Angel. & Plat. licet sic non declarent.

Quartus actus vel modus fictus per quem acquiritur possessio, est per retentionem usus fructus: nam si quis vendat, donet, vel alienet aliquam rem quam possidet, retento sibi usufructu, statim per talem clausulam, nulla traditione interveniente, transit possessio civilis in eum in quem fit alienatio, (1) & per consequens dominium, vel usucapiendi conditio, & possessio naturalis remanet penes alienantem ratione usus fructus retenti: iste est textus singularis in leg. Quisquis, Cod. de Donat. quem ad hoc notat & commendat ibi Petr. Cin. Bartol. Alber. Angel. Bald. Salyc. & communiter DD. & illum textum notat ad hoc Glossa ordinaria in leg. 3. ff. de Acquir. posses. in verb. Animo, versic. Sextus per retentionem usufructus, & ibi communiter DD. Glos. & communiter DD. in leg. 1. C. eod. tit. & illum text. reputat mirabilem Azor. in summa, Cod. eod. titul. 2. column. in fin. num. 8. reputat mirabilem Petr. in leg. 1. ejusdem titul. 2. column. in fin. & reputat mirabilem Cuman. in dict. leg. 3. ff. de Acquirend. posses. 1. column. in fin. similis text. est in leg. Si quis argumentum. §. Sed si quidem, eod. titul. de Donat. qui extenditur, ut procedat etiam in contractu vel alienatione universali omnium rerum: & ista duo jura non sunt alibi, secundum Bald. in dict. leg. Quisquis, in princip. Pro qua conclusione & decisione est hodiè leg. 9. titul. 36. 3. part. Et ratio viva & subtilis hujus conclusionis est: nam cùm secundùm juris dispositionem dominus non pos-

sit habere usumfructum formalem in sua propria re, ut in leg. Usuf. in princ. ff. Si usus fructus per. & in leg. Cùm in fundo. ff. de Jure dorum, & in leg. In re communi. ff. de Servit. urban. prad. & utrobique DD. necessariò inferitur pro validitate actus, quòd si in alienatione rei dominus retinet usumfructum, statim ipso jure transeat proprietas ad alium, in cujus acquisitione fingitur traditio possessionis; cùm sine ea non quæretur, ne aliàs concurrant in eadem re, & una & eadem persona duo jura incompatibilia: istam rationem in effectu, licet non sic declaratam, posuit Azor. in summa. Cod. isto titul. 2. column. num. 8. Petr. de Bellaper. in leg. 1. ejusdem titul. 2. column. in fin. istam etiam rationem posuit Petr. Cin. Faber. in dict. leg. Quisquis, Cod. de Donat. Salycet. & alii DD. in leg. Licet, Cod. de Acquir. posses. Secunda ratio sit: quòd ideo transfertur possessio & dominium, quia retinens usumfructum videtur se constituere possidere rem nomine alterius, & censetur hoc casu tacitè posita clausula constituti: istam rationem ponit Cuman. in dict. leg. Quod meo, 2. column. in fine. & licet ista ratio non videatur concludere, cùm usufructuarius non possideat nomine alterius, sed proprio; tamen optimè potest defendi, quia negari non potest, quòd licet usumfructum retineat nomine proprio, tamen proprietatem retinet nomine alterius. Tertia ratio vera & subtilis potest esse, quia usufructuarius semper censetur esse tamquam procurator ipsius proprietarii, & eandem rem tenere, omniaque quæ eam concernunt exercere tamquam procurator & custos: textus est singularis & unicus in leg. 1. in fin. cum leg. 1. sequente. ff. Usufruct. quemadmod. cav. quem ad hoc notat & commendat Bartol. in leg. 1. §. fin. ff. de Novi oper. nunc. 1. col. in fin. & ibi communiter Modern. & illum textum ad hoc dicit unicum Bald. in rubric. extra, de procurat. 4. column. ergo mediante persona ejus quæritur possessio & omne jus rei ipsi proprietario, argumento text. in leg. 1. §. Per procuratorem. ff. de Acquirend. posses. & in leg. 1. Cod. eod. titul. & certè istam rationem ego investigavi, & postea reperi, quòd eam ponit Barbat. in additionibus ad Bald. in cap. 1. quid sit investitura, in lib. 2. Feudorum.

Ex quibus subtiliter infero, quòd idem erit generaliter, quando venditor vel alienator reservaret sibi aliud jus quod est incompatible cum dominio; ut si retineret rem in emphiteusim,

pro-

(1) Prout etiam tenet Gregor. per textum ibi in leg. 9. titul. 30. part. 3. & Matienz. in leg. 8. titul. 7. gloss. 1. lib. 5. Recop. num. 21.

promittendō pensionem quolibet anno, vel retineat expressē rem in pignus quousque solvatur pretium, vel retineat de voluntate emptoris in pignus pro alio debito: nam tunc statim ipso jure transit dominium in eum in quem fit alienatio sine aliquo actu traditionis: ita in specie singulariter Faber. in §. *Interdum Institut. de rerum divis. post princip.* pro quo est Glossa singularis quam ipse allegat in leg. 1. §. *fin. in verb. Emerit, in fin. ff. de Rebus eorum*, quæ tantum loquitur in pignore retento: & illam Glossam ibi sequitur & approbat Alberic. & Din. & Jacob. de Aretin. quos ipse refert; & illam Glossam reputat singularem Jas. in leg. *Traditionibus. Cod. de Pactis, 2. column. in fin.* illam Gloss. sequitur & commendat Nicol. de Neapol. in dict. §. *Interdum, Institut. de rer. divis.* idem expressē tenet Faber. in suo *Breviar. in dict. leg. Quisquis, in fin.* idem tenet Cuman. dicens se habuisse de facto, in leg. 3. *de Acquirend. posses. in 2. column. in princ.* facit etiam bonus text. in argumento in leg. *Quadam mulier, de rei vind.*

63 Item etiam infero singulariter, quod dispositio text. in dict. leg. *Quisquis*, & ejus conclusio non procedit è contra, quando venditor vel alienator reservaret sibi proprietatem rei; ut quia alienaret vel concederet usumfructum, retenta sibi proprietate: nam tunc non transfertur jus ususfructus formalis & ejus possessio in accipientem, nisi sequatur traditio, vel quasi; quia hoc casu cessant communes rationes superiores: & in expresso ita probat textus expressus in leg. 3. §. *Dare. ff. de Usufruct.* ibi: *Ad translationem ususfructus & quasi possessionis ejus requiritur inductio in fundum, vel patientia utendi & fruendi: non ergo sola concessio ususfructus & retentio proprietatis sufficit. per quem in terminis ita tenet Bald. in cap. Cum venisset, fin. column. num. 8. de restit. spoliat. idem Bald. in cap. 1. 2. column. prope finem. Quid sit investitura, in lib. 2. Feudorum, idem Bald. in dict. leg. Quisquis, Cod. de Donationib. & per illum textum ita etiam tenet Ludovic. Roman. in leg. 3. ff. de Acquir. posses. 1. column. prope finem, & ibi Aretin. 2. column. in fin. Alexand. 4. column. num. 14. Vincent. 10. column. num. 25.*

64 Adde tamen pro intelligentia & declaratione text. in dict. leg. *Quisquis*, & superioris conclusionis, quod ad hoc ut per retentionem ususfructus transferatur dominium & possessio proprietatis, requiritur quod retinens usumfructum possideat & retineat rem pleno jure illo tempore, aliàs non transfertur, argumento text. juncta Glossa, in leg. *Quamvis. §. Si conditor. ff. de Acquirend. posses.* ita Angel. de Perus. in dict. leg. *Quisquis de donation.* ubi etiam dicit, quod

ille qui præten dit possessionem & dominium proprietatis sibi quæsitus, debet omnino probare, qualiter prædicta res pleno jure erat penes alienantem illo tempore; aliàs succumberet: & idem tenet Salycet. ibidem.

Item adde singulariter, quod prædicta jura, & communis opinio quæ habet, quod per retentionem ususfructus transit & acquiritur possessio, debet intelligi & extendi ut procedat, etiam si ille qui retinet usumfructum sit in absentia rei, vel rerum: ita subtiliter probat text. in dict. leg. *Quisquis*, ubi non constat rem fuisse in præsentia, imò non præsumitur esse, per regulam quam ponit Anton. in cap. *Cum venisset, de restit. spol. penultim. column. num. 13.* & Aretin. in leg. 3. ff. *de Acquire posses. 2. column. 5.* Præterea hoc probatur; quia si ibi res esset præsens, visu quæreretur possessio, & frustra interveniret alius actus fictus. Præterea & hoc deduco & probō ex littera alius text. dum dicit, *nec quid amplius requiratur quo magis videatur facta traditio*, idem probat text. subtiliter consideratus in leg. *Si quis argentum. §. Sed si quidem, Cod. de Donation.* ubi si quis donat universaliter omnia bona sua, & retineat usumfructum, statim transit possessio civilis in donatarium; & sic aperte colligitur, quod ille actus intervenit in absentia, quia non est præsumendum quod omnia bona sua erant in præsentia: Et si subtiliter replices; ergo tunc bene transfertur possessio civilis in novum proprietarium, quia illam solam retinebat dominus in absentia, tamen non video qualiter tunc remaneat possessio naturalis penes dominum, qui nunc retinet usumfructum, cum nullam habeat in absentia, quia noviter respondeo quod in illo instanti creatur nova possessio naturalis causata & inducta ex retentione & fomento civilis, quæ retinebatur in absentia; & sic idem operatur talis retentio ususfructus ac si fieret in ipsa re præsentem, quæ quidem possessio naturalis cum sit sola, poterit postquam fuit creata retineri in absentia, ut supra suo loco dictum & probatum est: & potest confirmari ex sententia Bartol. qui in proposito bene facit, in leg. *Quod meo. ff. de Acquirend. posses. 2. column. 5.* & ibi communis opinio.

66 Quintus actus vel modus fictus, per quem acquiritur possessio est *per conductionem rei*: nam si quis vendat, donet, vel alienet rem quam possidet alteri, & ab eo eam conducat pretio determinato, statim quæritur possessio ipsi emptori, donatario, vel ei in quem fit alienatio, & per consequens dominium, vel usucapiendi conditio, & omnes alii effectus qui resultant ex possessione: textus est expressus in leg. *Quadam*

dam mulier. ff. de Rei vend. cujus verba sunt: *Quadam mulier fundum non marito donavit per epistolam, & eundem fundum ab eo conduxit: posse defendi, in rem ei competere actionem, quasi per ipsam acquisierit possessionem*, & illum textum ad hoc notat & commendat ibi Odofred. Bartol. Alberic. Bald. Angel. & communiter DD. text. in leg. *Qui bona fide*, infra, *isto tit. text. in leg. Interdum, §. fin. eod. titul. text. in leg. Servi emptor. ff. de Peric. commod. rei vindit.* & idem disponit *lex 9. titul. 30. part. 3.* & ratio hujus est; quia eo ipso quod venditor vel alienator conducit suam rem ab emptore, vel alio in quem fit alienatio, videtur se constituere nomine ejus deinceps eam rem detinere & possidere; unde merito transit possessio: argumento nostræ legis *Quod meo*, & istam rationem ponit expressē Glossa ordinaria in dict. leg. *Quadam mulier, in gloss. 4.* ibi Odofred. Bartol. & Alberic. Abb. in cap. 2. *de Consuetudin. fin. col. post princ.* & videtur esse communis ratio omnium Doctorum: & istam rationem aperte voluit Bartol. in *ista leg. Quod meo 2. col. num. 3.* versio: *Secundo pone.* ubi dicit, quod idem est constituere se nomine alterius possidere, vel conducere ab eo. Confirmatur, quia colonus vel inquilinus semper recognoscit locatorem in dominum & possessorem, & semper suo nomine videtur tenere, ut probat casus in proposito notab. in leg. *Male agitur, de prescriptione 30. vel. 40. annorum, text. in leg. Non solum. §. Quod vulgo, in fin. de usucapion. text. in leg. Certe. §. 2. de Precar. text. in leg. Si id quod. §. 1. ff. de Acquirend. posses. text. in leg. fin. Cod. de Acquirend. posses. text. in leg. Peregre. §. Quibus. ff. eodem titul.* Secunda ratio & subtilis est: quia cum in re propria non cadat conductio, & sic jus incompatible cum dominio necessariò conducendo transfertur dominium; & cum ipsum non possit acquiri sine possessione vel traditione, possessio ipsa fictione juris censetur tradita: istam rationem ponit solus Angel. de Perus. in dict. leg. *Quadam mulier. in princ.* & confirmatur ex his quæ dixi in superiori proximo 4. actu ficto, & ejus ratione. Quam conclusionem & doctrinam declaro isto modo; nam si alienans rem & conducens habebat utramque possessionem, utramque transfert in eum, cui fit alienatio, & penes conducentem sola remanet detentatio & custodia, argumento textus notabilis in leg. *Officium*, vers. *Denique. ff. de Rei vind. & in dict. leg. Male agitur, cum similib. Cod. de Prescrip. 30. vel. 40. annor.* si verò sola possessio civilis vel naturalis est penes eum, illa sola transit & quæritur ei cui fit alienatio: ita probat expressē dicta *lex Quadam mulier, in Anton. Gomez, ad Legem Taur.*

vers. *Veluti*, ubi præsupponit, quod mulier quæ ibi donavit & conduxit non erat in fundo, sed absens, & sic tantum possidebat civiliter, & tamen illam transfert in donatarium: & ita in expresso per illum textum tenet & declarat Bartol. in leg. *Quod meo 2. column. num. 3. ff. de Acquir. posses.* & sequuntur communiter DD. si verò nullo modò possideat, tunc per conductionem nullam transfert possessionem in eum cui fit alienatio, argumento text. in *regul. nemo plus juris. ff. de Regul. jur. & in leg. Traditio, in princ. ff. de Acquir. rer. domin. & in expresso pro hac sententia & conclusione est text. in leg. *Quamvis. §. Si conductor. ff. de Acquirend. posses.* ubi, si colonus vel inquilinus meus vendit rem meam alteri, & ab eo conducit; non transfert in eum aliquam possessionem: cujus ratio nulla alia est, nisi quia non possidet: & ita per illum textum tenet ibi Gloss. notab. ordin. in fin. Angel. Paul. Roman. Aretin. Cuman. Alexand. qui hoc valde commodant: pro qua sententia facit text. in leg. *Pomponius. ff. Quibus mod. ususfruct. amit.* quem DD. dicunt notabilem & meliorem de jure in dict. §. *Si conductor.* & in leg. *Qui universas. §. Quod per colonum. eod. titul.* & ex hoc inferunt, quod ille qui juvat se ex possessione quæsita per conductionem rei, tenetur probare possessionem esse penes conducentem tempore contractus: idem tenet Angel. in dict. leg. *Quadam mulier 2. column. in princ.**

67 Et ex superioribus infero singulariter, quod si colonus vel inquilinus post mortem domini & possessoris conducit ab hærede, vel ei solvit pensionem, recognoscens eum in dominum, eo ipso videtur hæres acquirere possessionem; quia colonus vel inquilinus videtur velle insistere & habere rem nomine ipsius hæredis, & tamquam ejus procurator: ita probat textus singularis, juncta sua Gloss. final. in leg. *Qui universas. §. Quod per colonum. ff. de Acquir. posses.* ibi tenet & notat Bartol. Alb. Paul. Imol. Rom. Cuman. & Aretin. & licet Gloss. & Bart. ibi tantum videantur dicere, quod ex hoc probatur possessio, & non bene aperiunt an ex tali actu censeatur realiter quæsita ipsa possessio; tamen omnes alii DD. dicunt expressē & tenent, quod censetur acquisita possessio: & in expresso ita tenet Paul. de Caltr. in leg. *Qui bona fide, eod. titul.* Bald. in leg. *Cum notissimi, Cod. de Prescrip. 30. vel. 40. annor. penult. column. num. 13.* ubi dicit, quod caveant hæredes, quia post mortem defuncti non videntur possidere, etiam colono vel inquilino remanente in conductione, nisi conducat ab eo, vel eum recognoscat solvendo sibi pensionem, per dict. §. *Quod per colonum*, pro qua sententia & conclusione

facit textus notabilis in cap. Cum venisset, de restit. spoliar. ibi: Percepe unum annuam pensionem, ubi probatur, quod per solutionem pensionis rei donatae, quam percepit donatarius de voluntate & consensu donatoris, acquirit donatarius illius rei possessionem: & ad hoc, notat ibi Glossa ordin. 2. & ibi ad hoc notat & commendat illum text. Abb. 3. column. num. 11. Anton. 3. column. 13. Card. in fin. Anchar. n. 6. Nec obstat si dicas, quod ista conclusio non videtur vera; quia per conductionem ita demum acquiritur possessio locatori, quando ille qui conducit possidet rem, ut supra probavi & conclusi: Sed in casu nostro iste colonus vel inquilinus non possidet: ergo nullam possit transferre possessionem. Quia notabiliter respondeo, quod illud est verum, quando possessio est ab alio occupata: secus vero quando possessio sit vacans, ut in casu nostro, quia res est hereditaria; quia tunc colonus vel inquilinus per conductionem transferunt possessionem in heredem quem recognoscunt in dominum, & statim sibi est quaesita possessio: & in expresso ita tenet & declarat Paul. Imol. Roman. & Aret. in dict. §. Quod per colonum. Idem Paul. in dict. leg. Qui bona fide, & ita etiam expresso tenet & declarat Bartol. in dict. leg. Quod meo, col. 2. in fin. num. 6.

68 Attende tamen singulariter, quod ista conclusio & communis opinio debet intelligi, quando colonus vel inquilinus conduceret ab heredem actualiter insilens in ipsa re, vel in conspectu rei: secus tamen esset si conduceret in absentia rei; quia tunc nulla possessio quaeritur heredi locatori: ita singulariter Joan. de Imol. in dict. §. Quod per colonum, reputans esse notabile in practica: & idem tenet ibi Roman. Franc. de Aretin. Adde tamen, quod si postea colonus vel inquilinus revertitur, & ingressus sit rem conductam: statim erit quaesita possessio heredi; quia per locationem factam ab heredem videtur commissum colono, ut habeat & teneat rem nomine locantis, & ipse colonus quando ingreditur, videtur habere & tenere nomine ejus; unde acquireret ei possessionem tamquam procurator: ita singulariter & subtiliter solus Aretin. in dict. §. Quod per colonum 2. column. num. 6. Sed attende valde singular. ultra omnes, quod ego teneo contrariam sententiam, imo, quod etiam si in absentia rei fiat conductio, acquiritur statim possessio heredi: quia considero, quod in absentia retinetur detentatio civiliter in animo, quando est iuste quaesita ex licito contractu, vel iudicis autoritate, & operatur omnes illos effectus, quos operaretur si detentator esset praesens in re: ita probat textus sin-

gularis, & unicus in leg. Si finita. §. Si quis metu, supra, de damn. infect. quem ad hoc notat & commendat Angel. & reputat singularem Paul. & Roman. & dicit forte non alibi Imol. probat etiam textus notabilis subtiliter adductus in leg. Si colonus. ff. de Acquir. posses. ubi dicitur, quod si colonus animo non deserenda possessionis exit de fundo, & eo redit, dominus & locator retinet per eum possessionem civilem & naturalem: & sic subtiliter probatur, quod colonus retinet in absentia detentationem rei, mediante qua locator conservat suam possessionem, ac si colonus actualiter esset in ipsa: & ad hoc illum textum notat ibi solus Paul. in princ. probat etiam singulariter textus subtilis in leg. Qui universas. §. fin. ff. eod. titul. ubi dicitur, quod si ego possideo per colonum, inquilinum, commodatarium, vel depositarium, licet aliquis eorum locet vel deponat apud alium, semper retineo meam possessionem; etiam si ille secundus non utatur nomine meo; quia tantum inspicitur animus primi coloni, inquilini, vel depositarii, & mediante animo ejus, qui adhuc videtur retinere rem in absentia, retineo & conservo meam possessionem: & ad hoc eum ibi reputat singularem Paul. de Castr. Imol. Aretin. & communiter DD. ergo, cum iste colonus vel inquilinus retineat detentationem rei in animo in absentia, merito, conducendo ab heredem, videtur in animo suo deinceps eam habere & retinere nomine heredis, ac si esset praesens in re, & per consequens statim ei quaeritur possessio, & habet locum dispositio text. juncta Glossa, in dict. §. Quod per colonum, & superior conclusio, & militat ejus ratio: & hoc est subtile & quotidianum. Nec obstat, quod in isto casu nullus actus corporeus ipsius heredis nec coloni tamquam procuratoris videatur intervenire in hac possessione quaerenda; unde, non videtur posse acquiri: Quia respondeo, quod ille primus actus corporeus, & sic illa naturalis apprehensio & detentatio coloni interveniens tempore quo habuit rem, sufficit; cum videatur semper durare & retineri saltem civiliter in animo: unde ista acquisitio possessionis non est sine actu corporeo: & hoc potest fundari ex sententia & doctrina Bart. in dict. leg. Quod meo 2. column. num. 3. & aliorum, ubi dicit, quod civiliter possidens animo in absentia potest transferre in alium illam civilem possessionem, constitutendo se nomine ejus possidere, ex praedicta ratione.

69 Sextus actus vel modus per quem quaeritur possessio, est quando concedo tibi & permitto habere, mediante aliquo titulo, rem meam qua est apud te: nam si commodavi, deposui, vel lo-

cavi tibi rem, & tradidi, & postea vendam tibi, vel alio titulo habili ad translationem domini concessi, & habere promisi, statim transit possessio, & quaeritur tibi qui rem detinebas, nulla alia de novo interveniente traditione: text. est in leg. Qua ratione. §. Interdum. ff. de Acquirend. rer. dom. text. in leg. Si servus meus, versic. fin. eod. tit. text. in leg. 3. §. Illud quoque. ff. de Acquirend. posses. text. in leg. Si rem qua apud te esset. ff. de Eviction. text. in leg. Sive autem, versic. Si quis rem. ff. de Public. text. in leg. Eius rei, cum leg. sequent. ff. de Rei vind. ubi, reus conventus rei vindicatione, si solvat aestimationem ejus secundum quod actor juravit, statim consequitur dominium & possessionem rei existentis apud eum: text. in leg. Certi conditio, §. fin. ff. Si cert. pet. ubi, si pecuniam apud te deposui, & postea mutuavi, efficitur tua, & ejus est periculum, etiam si non moveatur: text. in §. Interdum, Instit. de rerum divis. & ista conclusio & decisio hodie confirmatur per l. 47. in princ. tit. 28. 3. part. Et ratio est: quia ista voluntas & patientia domini post novum & verum titulum, re existente penes acquirentem, habetur pro traditione ex juris dispositione; & sic, detentatio praecedens mutatur & transfunditur in possessionem juridicam ex novo titulo superveniente, concurrente animo & voluntate acquirentis; & istam rationem colligo ex mente jurium supra dictorum, & ista est mens & intentio Doctorum ibi. Et in tantum ista conclusio & doctrina est vera, ut procedat etiam si tempore quo conceditur novus titulus res sit in absentia: ita tenet Gloss. ordinaria in dict. leg. Qua ratione. §. Interdum, in gloss. fin. cum qua ibi transeunt communiter DD. Gloss. in dict. §. Interdum, Instit. de rerum divis. & ibi expresso. Faber. Ang. Plat. & communiter DD. tenet etiam Bartol. Alber. Angel. Paul. & communiter Moderni in leg. Certi conditio. §. fin. ff. Si cert. pet. & ista est vera & communis opinio; licet Gloss. in leg. Sive autem, versic. 1. ff. de Public. velit contrarium; & Christophorus in dict. §. Interdum, & aliqui DD. Et pro communi opinione est hodie Lex Partit. supra allegata. Facit etiam ratio: quia si esset in praesentia, non esset dubium, nisi quod quaereretur, ut in leg. 1. §. Si jusserim. ff. de Acquirend. posses. cum similib. est supra dictum. Nec huic communi opinioni obstat text. in leg. Hac si res. ff. de Rei vindicatione, ubi, reus conventus rei vindicatione, qui solvit litis aestimationem, ita demum consequitur dominium & possessionem rei, quando erat res praesens: Quia respondeo, quod praesens dicitur esse res, quando est penes ipsum reum con-

ventum: & ita solvit ibi Gloss. ordinaria 1. & sequuntur plures DD. & tenet expresso Din. regul. pro possessore, de reg. jur. in 6. 4. quaest. Vel secundo respondeo, quod ille textus loquitur, quando non intervenit verus & expressus titulus, sed tacitus, & insuper res non erat penes illum de voluntate domini: In conclusione vero nostra superiori intervenit verus & expressus titulus, & res erat penes acquirentem de voluntate domini: ita Odofred. Alberic. & Angel. in dict. leg. Hac si res, & ita etiam solvit & declarat Bartol. Bald. & communiter Moderni in dict. leg. Certi conditio. §. fin. ff. Si cert. pet. & notabiliter Joan. de Imol. in leg. 2. §. fin. ff. de Usucap. pro emptore, 3. column. Adde tamen, quod ista conclusio & opinio communis debet intelligi (licet nemo tangat) quod, re existente in absentia, transfertur possessio, scilicet civilis tantum; non vero naturalis: quia cum illa, etiam postquam est quaesita, non conservetur nec retineatur in absentia, ergo nullo modo acquiratur, argumento text. & ejus regulae in leg. 1. §. Quod autem ait prator. ff. de Superficie. cum similib.

Attende tamen, quod contra supra dicta facit urgens ratio: nam in isto casu quo res est in absentia, nullus actus traditionis videtur intervenire, qui semper requiritur in quaerenda possessione, sed tantum intervenit voluntas & titulus domini & possessoris: sed constat hoc non sufficere, etiam concurrente voluntate quaerentis: unde, in nostro casu non videtur posse quaeri possessionem. Sed sustinendo superiorem conclusionem & communem doctrinam Doctorum respondeo notabiliter, quod ille penes quem detentatio rei erat, retinet civiliter in animo in absentia illam detentationem & effectum ejus, ut supra bene probavi in superiore proximo actu ficto: unde, ex titulo & voluntate domini concedentis rem, acquirit detentator possessionem ejus ex juris dispositione; quia cum videatur esse in re & ejus detentatione saltem civiliter in animo, nunc illam rem intendit in animo habere & possidere ex novo titulo & concessionem domini, & illa detentatio praecedens mutatur in possessionem juridicam: unde merito dixi, quod illa possessio qua in nostro casu quaeritur in absentia, tantum erit civilis; sed si in re vel in praesentia rei concederetur titulus a domino, esset quaesita utraque possessio: & ista est nova & vera declaratio & intentio superiorum jurium. Pro qua sententia & declaratione considero expressum & subtilem textum in dict. leg. Certi conditio. §. fin. ff. Si cert. pet. ubi dicit textus, quod si deposui penes te pecuniam, & postea permisi tibi ea uti, statim transit do-